

Vc  
489



Vc  
489

A.1.2.

<sup>2. B. V</sup>  
RECTORE ACADEMIAE  
MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO  
DOMINO  
FRIDERICO AVGVSTO  
ELECTORATVS SAXON. HEREDE  
<sup>DE</sup>  
OPERA POETARVM  
IN PRIMIS  
LATINORVM  
AD  
ILLVSTRANDAM HISTORIAM  
SAXON. COLLATA  
PRAESIDE  
FRIDERICO STRVNZIO  
P. P  
IV ID OCTOBREIS AN. CIC 15CC XV  
HORIS LOCO QVE CONSVETO  
DISSERET  
IOANNES HENRICVS de BVRG  
LIPSIENSIS

---

VITEMBERGAE  
Ex OFFICINA VIDVAE GERDESIANAE

RECTORIS UNIVERSITATIS  
MAGISTRI FRANCISI BENO  
SILENTIUS TRACTATUM  
FRIDERICO VAGASIO  
OPERA PORTARUM  
LATIONORVM  
MANUOTRINITATIS  
AB  
FRIEDRICO STRAVIO  
HONORIS HENRICVS de BRUG  
LIPSIENSIS



1711. 100. 100. 100. 100.

EDITIONIS ALDÆ GERPHALMÆ

DE  
OPERA POETARVM  
INPRIMIS LATINORVM  
AD ILLVSTRANDAM HISTORIAM SAXONICAM  
COLLATA

---

---

I.

**N**iraris, Lector, quid mihi cum Poetis sit negotii. Sunt illi nugatores, mendici, adulatores, et, ueteri uerbo, nihil sani. Ita uulgus, etiam, quod dolemus, eruditorum. Mihi alia sententia sedet. Neque despero, fore mihi quosdam socios, ceteris prudentiores. Tralatitium est, aut delectare uates, aut prodeesse. Mihi etiam prosunt, dum delectant. Delectant, cum prosunt. Nihil est, quod ad mores referri nequeat. Vitupereamus, licet, aut laudemus. At paruam, inquies, quis  
A requi-

requirat utilitatem. Alicuius momenti uolumus. Dignam, quae ab optimis etiam ingenii inquiratur. Falleris, hanc si ab arte nostra prorsus abesse censes. Quod ab aliis alia ratione expeditum est, nos una in praesenti ex memoria rerum a Maioribus nostris gestarum, atque a Poetis magna fide conferatarum, sumus demonstraturi. Ecquid enim doctrinae genus maiorem habet affinitatem cum Historicorum officio, quam hoc, quod, et rerum tractandarum similitudine, et dicendi etiam ratione, quam proxime ad illud accedit. Memoriae mandant Historicorum monumenta res a populis, eorundemque Principibus, gestas. Celebrant Poetae quicquid ab heroibus, eorundemque adiutoribus, praecclare factum est. Ita uero efficiunt, ut fortissima quaeque facta ad posteritatem transmittantur, quae facile obliuioni dabuntur, nisi uocem Poetarum testem nanciscantur. Enarrator Pindari p. 35. b. Neque dubium est, quin eo saepe in dicendo aspirent Historicci, ut et illas notiones usurpent, quae Poetis propriae sunt, eamque ob causam diligenter a dicendi magistris euitantur. Taceo reliqua, quae Poetis ac Historicis in describenda locorum, hominumque, ratione communia sunt, ac pridem ab aliis obseruata.

II. At-

## II.

**A**tque ut proprius ad institutum accedamus, amplissimus nobis fatemur, patet campus dicendi. Namque hic per omnes Europae prouincias liceret excurrere, ac facili opera docere, quanto studio uates singularum fata, gentiumque cum migrationes, tum bella, ac tumultus, memoriae mandarint. Ex pluribus meminisse iuuat Nicodemi Frischlini, qui elegiaco carmine, eodemque non eleganti minus, quam breui, omnes quatuor Monarchiarum Imperantes descripsit. Neque praeterire placet Ioannem Mylum, Libenrodensem, qui non minori dexteritate, in Ieronicon libro, quam plurimos Orientales pariter, ac Occidentales, Imperatores collaudauit. Pari industria uersatus est in Historia Venetorum Ducum Elias Corvinus, Ioachimicus, qui, ex Petro Marcello & Marco Antonio Sabellico, heroicis uersibus, eorum res gestas, laudesque, decantauit, Anno 1568, Quae et alia, ample nimis patentia, relinquimus libentes, atque ad patriae nostrae historiam, quoad Poetarum studio illustrata est, festinamus. Neque in Germaniae uniuersae Principibus, a Poetis laudibus euectis, multum occupabimur, quippe quod argumentum instituti nostri rationem superare uideatur. Dissimulare tamen non possumus merita duum

A 2

uir-

uirorum, Conradi *Celtis*, Suinfurtenis, et Henrici Bebelii, Iustingensis, quorum alter de moribus et situ Germaniae, alter de laudibus Germanorum, prout tunc erant tempora, non ineleganter egerunt. Inuenimus haec monumenta Tom. I. Scriptorum, a Simeone Schardio collectorum, p. 104. et 227. Multo magis autem mirandum est, Sec. XII. atque adeo in ipla fere barbarie, *Guntherum* quendam, Monachum Benedictinum, de Friderico Aenobarbo eruditum composuisse carmen, quod Ligurinum inscripsit, ac Spicelius et Rittershusius commentationibus suis illustrarunt. Est uero hoc indicio, quod, sicut literae humaniores, et eloquentia omnis, ortum suum poesi debent, ita etiam in poesi omnium ultimo defecerint. In mentem quoque uenit, *Nicodemum Frischlinum* de decem Imperatoribus Austriacis in panegyricis, altero Maximiliano II. altero Rudolpho II. dictis heroica concinnasse carmina, quae, non, ut alii existimant, *Comoedia de Rebecca*, effecerunt, ut Comes Palatinus Caesareus a Rudolpho crearetur. Hic etiam commemorandus est *Georgius Calaminus*, Silesius, qui Imperatorum Austriacorum, a Rudolpho I. Habsburgensi, ad Rudolphum II. res gestas carmine heroico praedicauit, et tragediam concinnauit, quam Rudolph-Ottocarum vocauit, in qua belli inter Rudolphum I. et Ottocarum infelicem euentum, seu potius

potius felicissimum Germaniae, descripsit Argentorati, 1594. In transitu denique ueluti notamus, *M. Ioannem Adamum*, Rigenualdensem Pomeranum, eclogam dedisse, in qua historiam Electorum Palatinorum complexus est, Heidelbergae, 1609. Idem praestitit *Nicolaus Reusnerus*, uti commemorat Augustinus Brunnius in *Triade Electorali Politica*, hoc est, historica enarratione trium illustrissimorum Electorum, qui ab Ottone III. in Palatinatu, Saxonia et Marchia Brandenburgica floruerunt, Francofurti 1600. Ita de origine et incrementis Illustrissimae Familiae Brandenburgensium Marchiadem scripsit *Ioannes Schofferus*, Poeta Francofurtensis, quae parum certe ab antiquorum Poetarum elegantia recedit. De Brunsuicensium Principum rebus gestis *Chronicon rhythmicum anonymi cuiusdam Auctoris extat antiquum*, qui uixisse uidetur Sec. XIII. quippe qui scribere desiit, M CC LXXIX. Exemplar eius habuit pri-  
mum Iustinus Goblerus, Goarinus, ICtus, & Duci-  
bus Brunsuicensibus a consiliis, ediditque 1566. in  
folio Francofurti, sed in dialectum superioris Ger-  
maniae, quam Turingicam, seu medium, uocat Illu-  
stris Leibnizius, conuersum. Igitur Leibnizius idem  
opus in Bibliotheca Augusta Quelferbytana, Saxonica  
dialecto conscriptum, inueniens denuo edidit,  
Tom. III. scriptorum, Gobleriana interpretatione ad

A 3

latus

latus iuncta, propterea quod codex Quelferbytanus saepius Goblerianum explicat, quam hic illum, Goblerianus uero Quelferbytanum saepius supplet, quam suppletur. Dicendum est etiam de Nicodemii Frischlini carmine heroico, quo domus VVurtenbergicae illustrissimae maiores descrisit, et secundas nuptias Ludouico VVurtenbergico, quas cum Vrsula, Duce Bauariae, et Comite Palatina Rheni, celebrait, gratulatus est. De ceteris, utut quam plurimis, scientes tacemus, in primis illis, qui Imperatorum cum Orientalium, tum Occidentalium, Regum etiam uariorum, et Principum nomina, et symbola, ut memoriae iuuentutis considerent, in uersus coegerunt, quorum et quam plurimi sunt, et in omnium fere cogitationibus haerent.

### III.

**E**tenim in his placet subsistere, quae nos proprius attingere, atque ad gloriam Illustrissimae gentis Saxonicae pertinere uidentur. Illa uero Saxorum est felicitas, uti et Marchiones, ac Duces, et Electores, immo Reges etiam, et Imperatores, ab antiquissimis temporibus habuerint, quos non solum ipsi uenerati sunt religiose, uerum etiam exterae nationes timuerunt partim, partim uehementer obseruabant, quorum tamen omnium gloriam Poetae et

con-

conseruarunt, et illustrarunt studiosissime. Ac ab initio quidem non praetereundi sunt *veterum Germanorum libri heroum*, quorum meminit Spangenbergius in Chronico Saxonico, p. 22. et p. 538. etiam *carmimum*, in quibus fatetur, quod multa inueniantur de Saxonum Principibus, quae in chronicis frustra quaerantur, quamuis, quae nostra aetate floret, Germanorum Poetarum elegantia omnino destituantur. Generatim in Principibus Saxonis depingendis elaborauit *Tidericus Langen*, Canonicus Eimbecensis et Goslariensis, qui carmine latino leonino Saxoniam nobis dedit, in quo a VVitekindo incipit, desinit uero in Heinrico VI. Reperitur illud in Meibomianorum scriptorum Tomo I. p. 806. Ex recentioribus *Peccensteinius* in prosapia Saxonicae familiae, sifit nobis sub plerisque effigiebus latinos partim, partim germanicos uersus, qui commendabili quadam breuitate uitas Principum ac res gestas enarrat. Pari instituto *Petrus Lotichius Secundus Illustrissimae familiae Saxonicae Heroes ac Principes ad Ioannem Guilielmum Ducem Saxoniae carmine heroico descripsit*. Eadem ratione *Petrus Albinus* in nouo stemmatum libro uersatus est, qui praeterea ueteres ante VVitekindum Reges quosdam Saxonum adiecit, atque ad Christianum II. Electorem eam operam continuauit. *Nicolaus Reusnerus* quoque

que icones edidit, sub quibus singulis elegiacis uer-  
sibus res gestas singulorum a VVitekindo usque ad  
Ioannem Ernestum praedicauit. Huc accedit *Mel-  
chior Neofanius*, qui de omnibus Saxoniorum Prin-  
cipum a VVitekindo ad Christianum I. usque, ele-  
giaco carmine commentatus est, in dedicatoria ca-  
talogi Episcoporum Halberstadensium, in quo ipso  
etiam quam plurima notatu digna, de comitibus Ve-  
tinensibus, et Saxoniae Ducibus, reperiuntur, Serue-  
stae 1586. Ut nihil dicam de *Petro Albino*, qui in  
nuptias Augusti Administratoris cum Agnete Hed-  
viga, Anhaldina, 1585. elegiacum carmen concin-  
nauit, in quo omnes maiores Saxonum ab Ardari-  
co ad Ioannem Georgium I. multis laudibus extu-  
lit. Ut et de *Balthasare Menzio*, qui in stemma-  
tum libro, germanicis rhythmis, non istic tamen ele-  
gantissimis, Comites, Duces, Electores ac Reges,  
Saxonicos, usque ad Fridericum Bellicosum, multis  
encomiis enumerauit. Hos omnes tamen nostra  
aetate superauit mirum quantum *D. Schurzfleischius*,  
cum Mauritium et Augustum, Electores, panegyri-  
cis laudibus ornaret, ubi uniuersae simul stirpis Sa-  
xonicae gloriam, a VVitekindo usque ad illorum,  
quos praedicauit, aetatem, incredibili elegantia ac  
breuitate, posteritati commendauit.

IV.

## IV.

Sigillatim ut de VVitekindo Magno , splendidissimae Saxonicae Gentis Parente, dicamus quaedam, cum in Scriptoribus Carolingicis uarii reperiuntur, qui ligata oratione illius uirtutes praedicarunt, tum speciatim *Anonymous* quidam, Arnolpho Imperatori aequalis, in quinque annalium libris, de gestis Caroli Magni , latino heroico carmine concinnatis, saepius illum laudibus extollit, at partium studio abreptus, non raro etiam de eius laudibus detrahit. Edidit illud Reinerus Reineccius, Helmenstadii , 1597. in 4to. annotationibus suis illustratum, & recentissimis temporibus, accuratius emendatum, Scriptoribus suis Leibnizius inseruit. Neque dissimili ratione in Chronico Mindensi incerti Autoris , carmine latino dimento trogaico , multa de VVitekindi laudibus habentur, p. 570. Tom. I. Meibomianorum Scriptorum, quod sufficit , nominasse rhythmicum. Eleganter ingenium, uirtutemque , VVitekindi *Heinricus Meibomius* duobus distichis expressit , quae digna iudico, ut hic quoque legantur :

Nescio ferre jugum, frustra me , France , fatigas,  
Seruitium titulo religionis ineſt.  
Conde enſes, irae moderare, & uince merendo,  
Non alia Saxo subditur hostis ope.

B

De

De VVitekindo , iuniore , nihil usquam sigillatim ,  
memini , me legere uersuum , itemque de aliis eius  
posterioris , nisi quod ad Reges atque ad Imperatores  
attinet , de quibus *Georgius Sabinus* egit , lib. I. de  
Caesaribus Germanicis p. 205. 213. seqq. & ex ueteri-  
bus apud *Gothofredum* Viterbiensem extant *monu-  
menta ligata* , cum in totam Saxoniam Gentem ,  
tum in Reges ac Imperatores Saxonicos , p. 525.  
*Scriptorum Pistorianorum*. Ita in *Engelhusii Chro-  
nico* leguntur disticha in Heinricum Aucupem ,  
p. 1073. in Ottone I. p. 1076. seqq. in Ottone II.  
p. 1078. in Ottone III. p. 1079. in Lotharium ,  
Imperatorem Saxonem . p. 1099. Ex iunioribus  
*Joannes Mylius* , *Libenrodiensis* , uitam Henrici  
Aucupis , & Ottonis Magni , carmine Heroico  
enarravit. Neque hic obliuiscendum est laudis  
*Hroswithae* , Illustris seminae Germanicae , quae pa-  
negyricam Orationem ligatam exarauit , in qua  
Ottone , Henrici Aucupis Patrem , Heinricum  
Aucupem , in primis uero Ottonis Magni res gestas ,  
celebrat. Habetur Tom. I. Meibomianorum scri-  
ptorum , p. 709. & denuo edita est a Cl. Schurzfleis-  
chio , 1707. Quantum uero obseruantia erga Im-  
peratores & pietate se commendat , tantum displicet  
propter uersus leoninos , quibus uia est , ut jussu  
Ottonis II. ejus Majores laudaret. In Ottone  
Ma-

Magnum & Lotharium, Imperatores Saxonicos, disticha reperiuntur apud *Meibomium*, quae lectoris cupiditati legenda relinquimus. De Ottone IV. Imperatore, carmen hexametrum legitur Tom. 2. *Leibnizianorum*, p. 525. in quo dialogus inter Pontificem Romanum, concilium & Romam sistitur. De ceteris Misniae Marchionibus, ac Thuringiae Landgrauis, conferri potest partim *Spangenbergii Chronicon Saxonum*, p. 136. 145. 156. 180. 210. 214. 236. 259. 253. 269. 344. 370. 371. 425. 517. 519. & 527. partim *Georgius Fabricius*, uolum. 2. rerum Misnicarum, qui Marchiones Misniae carmine elegiaco descripsit, v. c. Thimonem p. 29. Conradum Pium p. 30. Ottонем Diuitem & Albertum I. p. 31. Diereticum. p. 32. Heinricum Illustrēm & Albertum Degenerem, p. 34. Fridericum I. Fortem, p. 35. Fridericum II. Grauem, p. 38. Fridericum III. Strenuum, p. 39. Guilielmum I. Coclitem, p. 40. Guilielmum II. Diuitem, p. 41. Albertum III. Animosum, p. 43. Georgium Barbatum p. 44. Henricum II. Pium, p. 45. Accedunt Petri Albini disticha in Marchiones Misniae, quae apud Fabricium ibid. p. 46. 48. habentur. De Friderici, Admorsi, uictoria erga Sueuos, & poena impudicitiae, in eos statuta, Germanici rhytmi a Spangenbergio, Chronicī Mannsfeldensis fol. 319. afferuntur. Titzmanni res gestae & uirtutes in

B 2

epi-

epitaphio, carmine elegiaco conscripto, Lipsiae leguntur, & in inscriptionibus Lipsiensibus *Stepneri*, L. I. p. 13. repetuntur.

## V.

**A**d laetiora nunc tandem peruenimus tempora, quibus & Illustrissima Saxonum gens ad Electorale aspirauit fastigium, & literae in Germania nostra sedem acceperunt. Primum hic nobis occurrit monumentum de Fratribus Serenissimis, Friderico & Guilielmo, qui, dissentientium aulicorum instigationibus in ciuilia impliciti bella, tandem ad pristinum amorem redierunt, cum Fridericus potestatem, a quodam suorum belli Ducum expetitam, ut Guilielum, castra fratris speculanter, interficeret, ipsi generosissime denegasset. Quo facto commotus Guilielmus omne ab illo tempore odium in fratrem depositus, indeque nactus occasionem *Georgius Bersmannus*, Professor Lipsiensis, elegiacum carmen conscripsit, in quo pius non minus, quam fortissimum, Friderici uerbum interpretatus est, quo quemuis ferire hostium, sed fratri parcere ministrum iussit. Reperitur hoc in collectis eius carminibus, p. 219. Plagium Ernesti atque Alberti, filiorum Friderici, Placidi, ex arce Altenburgica ab Cunzenio de Kauffungen cum sociis sceleris factum suavi

suau quadam latina comoedia , parum a Terentii  
 lepore abeunte, depinxit *Daniel Cramerus*, Vitem-  
 bergae tertium edita. 1594. ut taceam de uetusto car-  
 mine metallico, quod Joannes Vulpius, ex Erasmi Stel-  
 lae Chronico Plisensi manuscripto, de eodem facinore  
 conseruauit, repetitumque etiam legimus in Intro-  
 ductione ad historiam Saxoniam nuper edita. p. 134.  
 Alberti, Magnanimi, uirtutes, & bellicas quidem, *Con-  
 radus VVimpina*, Professor Lipsiensis, carmine ele-  
 giaco expositas dedit, togatas uero *Herrmannus  
 Buschius*, incertum tandem mortis genus, quo ex-  
 spirauit, *Joachimus Camerarius*, quae in annalibus  
 urbis Milenae Fabricii, p. 74. & 75. extant. Con-  
 seruauit nobis de eiusdem obitu & uirtutibus car-  
 men quoddam elegiacum Illustris Leibnizius, Tom.  
 III. Scriptorum , p. 678. quod legere neminem  
 poenitebit. Friderici , Sapientis , uirtutes illu-  
 strissimas separatim *Eobanus Hessus*, eleganti carmi-  
 ne elegiaco, laudibus euexit, quod p. 146. carminum  
 reperitur. Idem *Philippus Melanchton*, *Georgius  
 Fabricus*, & *Joannes Stigelius*, fecerunt, uti appareat  
 ex Augustini Brunnii Triade Electorali politica,  
 p. 338. Cum aliis uero Electoribus Saxoniciis *Bal-  
 thasar Menzius* illum concelebrauit, in historica nar-  
 ratione, de septem Electoribus, & uno Pro-Electore,  
 qui Academiam Vitembergensem condiderunt, &

amplificarunt, ubi singulis Electoribus singula elo-  
gia carmine elegiaco scripsit, Vitembergae, 1611.  
Pari ratione *Fridericus Taubmannus* in Oratione  
iubilaei seculari, illum cum Joanne, Constante, Jo-  
hanne Friderico, Mauritio, Augusto, Christiano I.  
Friderico Guilielmo & Christiano II., at heroico  
carmine, pradicauit. Quod ultimo iubilaeo Sacro  
imitatus est, Decus Academia nostrae, *Joannes Gui-  
lielmus Bergerus*, ac prioribus Joannem Georgium I.  
II. III. & IV. idemque Potentissimum Regem no-  
strum, & Rectorem Academiae Magnificentissimum,  
adiecit. In quibus iucunda quaedam ingeniorum  
diuersitas facile obseruatur, cum alter alterum mox  
concinnitate, mox breuitate, modo sublimitate uer-  
borum, modo sententiarum acumine, modo inuen-  
tionis ingeniosa felicitate, superare conetur. Joannem  
Constantem separatim laudauit *Joannes Stige-  
lius* illius aetatis Ouidius, quod in ejus carminibus  
collectis, p. 354. obseruari potest, cuius etiam heroicam  
uocem, in Comitiis Augustanis c. 10 xxx mis-  
sam, multis, nec tamen paribus, laudibus cumulauit  
*Fridericus Rappoldus*, in Biduo Joanneo. Constan-  
tis filium, Joannem Fridericum, Electorem, Mar-  
tyrem, poesi sua saepe ac uehementer ueneratus  
est *Stigelius* laudatus. Namque partim de captiu-  
itate ejus & reditu duo Idyllia concinnauit, partim  
captum

captum & abductum deplorauit elegiaco carmine,  
partim ejus mortem duobus epitaphiis luxit. Ut  
de ceteris nihil dicam, quae in epigrammatibus in  
eum lusit. Prae ceteris autem praecclare in decan-  
tandis hujus Electoris laudibus uersatus est *Joannes*  
*Foersterus*, Aurobachius, qui quinque libros edidit  
de rebus gestis Joannis Friderici Electoris, Lipsiae  
1602. Credi non potest, quanto studio ueteres hic  
imitatus sit, Homerum ac Virgilium in primis, quo-  
rum articia & nosse se ostendit, nec infeliciter ex-  
primere posse, exemplis docet. Hunc utinam uel  
semel illi accurate legerent, qui Homerum ac Vir-  
gilium intelligere nequeunt, & tamen, nescio, quas  
ineptias, quas isti praedantismum uocant, expro-  
brare nihil uerentur. Nullus enim dubitarem, quin  
de riuali elegantia edocti, rectius de fontibus ipsis  
iudicare discerent. *Petrus Lotichius Secundus* quo-  
que de prodigiis ante pugnam inter Carolum, Impe-  
ratorem, & Joannem Fridericum, Electorem, com-  
missam, elegiam composuit non ineptam, quae in l. i.  
Elegiarum nona est. Contra ea *Jacobus Micyllus*  
*optimus & doctissimus vir*, uti Camerario uocatur,  
epithalamium scripsit in nuptias hujus Electoris  
quod l. 2. siluarum reperitur, & de quo testatur edi-  
tor illarum *Julius Micyllus*, quod inter ejus epigram-  
mata, Hagenoae impressa, inuenerit.

VI.

## VI.

**N**unc ad Albertinam tantisper gentem me uerto,  
**N**ad quam ab Ernestina Imperatores eligendi  
 potestas est translata. Nam de familia hac illustrissima  
 carmen heroicum recitauit *Nicodemus Frischlinus*,  
*Vitembergae 1588.* in quo Georgium & Henricum,  
 huiusque filios, Mauritium & Augustum, maximis  
 laudibus cumulauit, addiditque ibidem res Joannis  
 Friderici, Electoris. Dicerem etiam hoc loco de  
*Wolfgango Ferbero*, qui piis quidem satis, sed in-  
 doctis tamen ac barbaris, germanicis rhytmis hujus  
 familiae Principes descripsit, nisi probe memor essem,  
 alius ordinis hominem, alium etiam locum, quam  
 inter poetas nostros mereri. Georgium sigillatim,  
 quem Diuitem, uel Barbatum, uocant, eiusque filios,  
 Joannem & Fridericum, ac Coniugem, Barbaram,  
 celebrauerunt partim *Andreas Francus, Camitianus*,  
 partim ipse *Georgius Fabricius*, uti ex huius Annal.  
*Vrb. Mis. p. 27. 28. 29. 91.* potest cognosci. Idem  
 etiam laudum Henrici, Pii, memoriam conseruavit,  
 uti patet ex Augustini Brunnii Triade, p. 369. seq.  
 Ecquid dicam de huius filiis, Mauritio atque Au-  
 gusto? In horum enim rebus gestis canendis omnes  
 ueluti Musae contendisse uidentur, tot laudum sua-  
 rum uindices inuenierunt, neque usquam tamen  
 fatis

satis laudari possunt. Nos, more nostro, potiores eorum, qui nobis innotuerunt, pro instituti ratione nominamus. Atque ad Mauritium quidem quod attinet, *Georgius Berßmannus* duas panegyricas orationes, heroico carmine, in eius laudem, habuit, quarum altera satis longa est, altera uero paulo breuior, Lipsiae 1561. Idem praeſtit Vitembergae *Joannes Maior* in quadam oratione panegyrica, in qua omnes res, ab eo gestas, cumulate satis praedicat. Nostra aetate D. *Schurzfleischius* easdem repetuit carmine elegiaco copioſe, eleganterque, non minus atque ingenuoſe, scripto, quod hodie conspicitur in apendice carminum ejus collectorum, p. 369. Praetermitto *Melanchtones*, *Camerarios*, *Fabricios*, *Reußneros*, *Verbesios*, *Meibomios*, aliosque quam plurimos, qui alia, aliaque, ratione idem conati sunt, & tantum commemoro *Thomam VVinzerum*, Dresenensem, qui historiam pugnae glorioſissimae illius quidem, ob uictoriam reportatam, at infelicitis, ob mortem uictoris, inter Mauritium & Albertum Brandenburgicum habitae, enarrauit, quam conseruauit Schardius, Tom. i. Operum p. 561. Eadem opera defunctus est *Joannes Albinus*, nec minori ingenii felicitate, in carminibus, p. 46. Accedimus ad Augustum Electorem, cuius annum, quo natus est, per aenigma docuit *Joannes a Pinu*, Auerbachius.

C

In

In quo notandum est, quod ejus fere omnia, quae dedit carmina, sine ueteris Mythologiae notitia, intelligi nequeant. Id quod tantum abest, ut reprehendi iure debeat a quoquam, ut potius laudi ducendum sit, propterea, quod antiquae poetarum fabulae anima ueluti sunt poeseos omnis. Eustathius Il. β. p. 252. Scire hoc debuissest, quisquis fuerit auctor nouissimae, quam uocat, politissimaeque, rationis acquirendi artem poeticam. Tum enim temperasset sibi haud dubie, quo minus carmina, etiam sacra, quae illas usurpant, temere accusasset. At politissimis istis, si Musis placet, ingenii, nihil politum est, nisi quod omni eruditae antiquitatis cognitione destituitur. Malumus nos cum ueteribus, uel barbari, uel inepti, uocari, quam cum illis elegantilis elegantes. Certe noster Josephus a Pinu hoc minus eam ob caussam reprehendendus est, quo magis eius instituto illa scribendi ratio competebat. Sed reuertimur ad institutum. Res ab Augusto gestas ex instituto laudibus extulerunt Petrus Albinus, Vitembergae, 1586. Joannes Major in elegia, qua eum cum Augusto Romanorum Imperatore comparat, & & D. Schurzfleischius in panegyrico, quem supra jam memorauimus. Nihil dico de Beustiis, Selnecceris, Reusneris, Sartoriis, Berfmannis, Faustis, aliis quam plurimis, qui optimo Prin-

Principi, & religionem pariter, ac literas maximo amore complexum, suam pietatem, & subiectissimum, gratissimumque, animum ita demonstrare uoluerunt. De Seuerino, Heinrici Pii filio, immaturis adolescentiae annis defuncto, extat epitaphium *Anonymi*, & *Vrsini Velini* interpretatio eorum, quae ante mortem pie locutus est, apud Georgium Fabricium, Origin. Sax. Tom. II. p. 95. Uti Alexandro, Augusti Electoris, filio, puero adhuc mortuo, elegiacum carmen, nisi me fallunt omnia, a *Joachimo Camerario* conscriptum, extat, in orationum eiusdem undecima, p. 343. Lipsiae, 169. In mortem Adolphi, eiusdem Electoris filii, *Joannis Maioris* industriam occupatam fuisse, legimus, Georgium uero Berßmannum Friderico, eiusdem Electoris infanti, operam suam addixisse, uideri potest ex eius carminibus, p. 261. Progredimur ad Christianum I. cuius annum, quo hunc orbem aspexit, mythologica ratione expressit *Josephus a Pinu*, Vitembergae, 1565. Eundem, aduentantem Lipsiam, praedicauit *Petrus Albinus*, carminum collectorum, p. 106. *Melchior Neofanius* etiam, dum illi catalogum Episcoporum Halberstadiensium, supra iam commemoratum, dederat, nec sine causa, uehementer eum laudauit. In primis uero *Nicolaus Reusnerus* carmina lugubria in eius mortem prae maturam edidit, Dresdae 1591.

C 2

ex-

excusa. Decepti autem maximopere sunt Caluiniani Doctores quamplurimi, *Joannes Posthius*, *Joannes Ladislaus*, *Nicolaus Bircholzius*, *Jacobus Micellus*, alii, uel potius alios decipere homines uoluerunt, qui, editis in eius mortem carminibus, orbi terrarum persuadere uoluerunt, ac si idem gloriofissimus Elector Caluini doctrinas promouere studuisse, Heidelbergae, 1592. cum tamen omnibus rerum peritis manifestum sit, gloriofissimum hunc Principem, uere Lutheranae religionis titulo, a Crellio, aliisque illius partis & furfuris hominibus, impie fuisse circumuentum. Cuius sceleris isti, & graues quidem satis, poenas merito dederunt.

## VII.

**T**emporis ratio nos perducit nunc ad Fridericum Guilielmum, Pro-Electorem Serenissimum, atque inuenit quidem & ille laudum suarum praedicatores ac testes inter poetas non paucos, nos tamen eos enarrare tantisper differimus, dum iterum ad illustrissimam Ernestinam Familiam, e qua ortus est, accedamus. Itaque accingimus nos ad illos nominandos, qui Christiani II. gloriofissimi Principis memoriam uersibus posteritati commendatam reliquerunt. Tempus, quo ille hanc lucem prius aspexit celebravit *Abrahamus Cummerus*, Ottranius,

cius, atque etiam eidem gratulatus est, cum ipsemet gubernare suas prouincias aggredetur. In quibus duabus operis simul omnes eius maiores laudibus extollit, atque a VVitekindo gestas res ex instituto describit, quod utrumque supra debuisset a nobis commemorari. Maiori ingenio ac doctrina *Fridericus Taubmannus* gloriam huius Electoris ac decora laudauit, uti ex eius carminib. p. 224. patet, neque multis eum interuallis reliquit *Nicolaus Reusnerus*, partim Epigrammate in illum scripto, quo eum laudes auitas iam superare fatetur, speratque omnino, fore, ut, si quidem ita perget in studio uirtutis, cum nemine sit comparandus: partim carmine Alcaico, quod p. 146. carminum extat, & ueterum huius generis uersuum elegantiam imitatur. Tandem nec praetermittendum hic esse puto *Vrbanum Hantschmannum*, qui, centone Virgiliano conscripto, quem Cupressum Saxoniam uocauit, de morbo, morte, luctu, atque exequiis, Christiani nostri egit, at parum, aut nihil, in eo commemorat de iis, quae ante fuerunt ab eodem gesta, quam in fatali istum morbum prolaberetur. Quemadmodum Christianum II. *Ioannes Georgius*, Frater, in eminentissimo munere & dignitate successit, ita & hic eum excipere debet. Namque huic epithalamium composuit *Fabricius*, Rerum Memorab. lib. II.

p. 364. 365. Eundem *Philippus Müllerus*, Professor Lipsiensis, ueluti flammulam uitilegam, carmine heroico, descripsit, cum rediisset ab expeditione Bohemica. Illius pacis studium praedicauit, *Janus Stephanus Verbesius*, quod inter media bella comprobauit. *Fridericus Taubmannus* eum pariter, ac Coniugem mortuam, Elisabetham Sibyllam, V Vurtenbergicam, epico carmine celebravit, postea nouas ei nuptias, heroico carmine, gratulatus est, p. 310. Omnia maximis eum laudibus extulit *Augustus Buchnerus*, heroico carmine, quod legi meretur p. 295. Quem secutus est *Fridericus Rappoldus*, p. 40. ut nihil dicam de *Elia Rudelio*, qui uariis, atque ingeniosis plerumque, Epigrammatibus uitam eius ac res gestas illustravit, Lipsiae 1624. Idem Filios Serrissimos Joannis Georgii I, Joannem Georgium, Augustum, Christianum, & Mauritium, suis carminibus ad uirtutem adducere cupiit, uti ex duplice Epigrammate existimari potest, quod eorum nomini bus eminentissimis consecrauit. Sigillatim Joannem Georgium II. celebravit carmine heroico 1657. *Fridericus Rappoldus*, cum Princeps auitarum provinciarum haereditatem adiret, in quo tamen parum de rebus ab illo gestis continetur. Idem, binis diuersis temporibus gratulatus eidem est deinceps aduentum, Lipsiam factum, quae carmina, p. 59. 72. ope-

operum collectorum reperiuntur. Longe maiora credimus praestitisse *Augustum Buchnerum* in panegyrico, quem post fata Serenissimi Principis, uti uero simile est, pro munere, quod eo tempore adhuc sustinebat, habuit, qui tamen nondum editus esse uidetur, propterea, quod in carminibus, a Clarissimo Cnauthio editis, non reperitur. De laudibus Joannis Georgii III. in nostra Academia cecinit *Otto Praetorius*, tam cum 1666. nuptias illi, cum Anna Sophia, Augustissimi Daniarum Regis filia, diuinae prorsus sapientiae Matrona, ad haec, utinam in solatium Saxoniae ac religionis uerae quam diutissime, uiua, initas, nomine Academiae gratularetur. Eundem, cum matre, Magdalena Sibylla, per Vitembergam Dresenam redeuntem, religiosissimis precibus exceptit idem. 1662. Justum uero panegyricum eidem mortuo dixit carmine heroico graeco D. *Schurzfleischius*, quo diuinis illius uirtutes in toga & sago, splendidissimo orationis genere, laudibus extulit, qui habetur p. 246. sicuti etiam alias, modo uictorias a Turcis pariter, ac Gallis, gloriofissime relatas, illo uiuo decantauit, p. 233. & 293. modo mortem eius acerbissime luxit. p. 334. Pedem promouemus ad Joannem Georgium IV. in cuius nuptias epithalamium scripsit *Janus Biscopides*, Amstelodami 1692. atque ex laudibus Diui Parentis fausta quaeque eidem omi-

ominatus est. In hac Academia laudes eius mortui praedicauit *Joannes Henricus Cnoblauchius*, carmine heroico, de rebus ab eo gestis concinnato. 1694. Quod quamuis uidere nobis non contigerit, didicimus tamen illud ex monumento, publice hic edito, atque illi operaे modo solemni praemissō. Potentissimum tandem Sarmatarum Regem, Fridericum Augustum, Dominum nostrum longe clementissimum, quem, dum hoc scribimus, Saxonia diuino beneficio reducem, religiosissima ueneratione prosequitur pariter, atque eius pro incolumitate quam diutissima sanctissimas ad Deum preces mittit, carmine elegiaco praedicare, atque humiliter uenerari *D. Schurzleischius* periculum fecit, sed breui admodum, propterea, quod ipse metuinas eius uirtutes ulla ratione uerbis exprimi posse, desperaret. Panegyricum eisdem Vitembergae dixit *Dietericus Dreslerus*, cum Poloniae regnum occupaturus, Saxonia excederet, atque edidit An. 1697. Nobis equidem certum est, nulla, quanta tandem cunque sint uolumina, nullas uel poetarum uel oratorum artes, ulla eas ex parte adumbraturas, quae ut Saxoniae, Poloniae, Germaniae, Europae, orbis fere terrarum omni, per quam amplissima temporum interualla, saluae permaneant, atque omnium hostium insidias, temporumque difficultates felicissime supe-

superent, deuotissimis Deum immortalem precibus  
rogamus. Quantopere etiam Serenissimus Electo-  
ratus Saxonici Haeres, Fridericus Augustus II. Rector  
Academiae Magnificentissimus, Dominus noster  
Clementissimus, Paternarum uirtutum uestigiis in-  
sistat, idem Schurzfleischius paucis distichis indica-  
uit, p. 233. qui, quo maiorem sui orbi uniuerso con-  
citatuit expectationem, quo etiam plurimis uirtutum  
documentis eam comprobavit, hoc crebrioribus  
omnium piorum precibus, suspiriis ac lacrymis, ex  
peregrinis, longeque disfatis regionibus, ut saluus re-  
deat ac sospes, flagitatur. Ita enim futurum esse, spe-  
ramus, imo confidimus, ut nouum pandat poetis  
atque oratoribus theatrum, in quo omnia ornate,  
copioseque, dicendi subsidia, & nec quicquam ta-  
men, periclitentur.

## VIII.

**R**edimus ad illustrissimam gentem Ernestinam,  
quam tantisper, dum Albertinam absolu-  
erimus, reliquimus. In hac Joannis Friderici II. &  
Joannis Guilielmi, Ducum annos, quo nati sunt,  
aenigmatio modo indicauit *Josephus a Pinu*, Au-  
erbachius. Eosdem, in Academia nostra studiorum  
gratia uersantes, *Joannes Stigelius* modo epistola  
elegiaca allocutus est, modo epigrammatibus

D

plu-

pluribus in eos confectis, ueneratus est. De eiusdem Joannis Friderici miseris fatis, in quae scelere Grumbachii prolapsus est, extat carmen germanicum *D. Holzhauseri*, Gothaici Poetae ac Medici celebris, cap. 31. in mercifwrdigen und ausserlesenen Geschichten der Landschafft Thüringen p. 505. Joannis Guilielmi uero elogium Anagrammate cecinit *Joannes Harprechtus* p. 62. Eidem mandato Augusti, Electoris, elegiaco carmine Epitaphium scripsit *Reusnerus*, quod extat p. 246. Idcm praestitit *Joannes Stigelius*, qui & mortem Joannis Friderici III. tali carminis genere acerbe deplorauit. p. 443. quod etiam *Joannes Fraxineus* feliciter confecit. Friderici Guilielmi, gloriosissimi Saxoniae Ducis, ac Pro-Electoris, decora ac uirtutes ut praedicarent, poetae, coniunctis ueluti uiribus, in se suscepserunt. Chorum quasi ducit *Nicolaus Reusnerus*, qui modo eius symbolum explicuit elegiaco carmine, modo oda Alcaica laudibus eum extulit, modo epigrammate docuit, quod Deo placeat, propterea, quod secundum diuinam uoluntatem Magistratum gerat, modo uehementer gloriae uertit, quod legibus suis ipsum se subiiciat, modo, ut multa alia taceam, cum Friderico, Sapiente, Electore, illum comparauit, quae omnia partim in Stemmatographia p. 134. 140. 152. & 158. partim in carminum collectorum p. 7. 26. 44.

77. 254. habentur. Ita oda Alcaica eum celebrauit *Elias Reusnerus*, & Heroico carmine, graeco sermone concinnato, *Laurentius Rhodomanus*, quod eruditorum lectione dignum censemus. *Taubmannus* Anacreontico in eum lusit, *Adamus Richterus* Heroico carmine laudes eius prosecutus est, ut nihil dicam de *Stigelio* atque *Harprechto*, aliisque, qui alia, aliaque, de caussa, in rebus secundis atque aduersis, poesi sua illum sunt uenerati. Porro Joannis Casimiri formam corporis laudat *Nicolaus Reusnerus*, p. 257. nuptias illi cum Augusti, Electoris, filia gratulatur *Joannes Maior*, 1586. Post mortem denique eius cognatos illustrissimos solatus est, *Reusnerus* propterea quod summo bono nunc potius sit. De Joannis Ernesti natali idem egit Stemmatograph. p. 174. qui etiam eius formam ac uirtutes laudibus euexit, epigrammate scripto, p. 257. Tandem de Joanne gloriatur *idem*, quod quam plurima in corpore suo habeat decora, p. 257. & quod suo etiam exemplo comprobet, Deum recte nosse pariter, ac timere, propriam esse Saxoniae Principum laudem. p. 29. Progrediendum esset ad reliquos ex eadem illustrissima gente Duces Serenissimos. Verum & tempus & locus & fere subsidia nos destruunt. Quam ob rem quae restant, alia forte occasione adiiciemus.

D 2

IX.

## IX.

Patet ex his, Lector, quantum poetae ad illustrandam historiam Saxoniam conferant. Neque uero inficiamur, monumentorum, a nobis huc usque laudatorum, non unam, eandemque, esse rationem. Alia enim ad ipsa fundamenta historiarum referri possunt, alia fontibus merito adduntur, propterea, quod minutias quasdam, notatu dignas, frustra tamen alibi quaerendas, nos condocent, alia denique, satis aliunde nota quidem tradunt, sed tamen, ad amplificandam tantorum Principum gloriam, diligenter sunt conservanda. Nemo autem quisquam ab opera hac nostra postulet, ut omnes omnino ad unam operum talium poetarum partes complectatur, aut nominet, propterea quod hoc neque in ullius facile uiribus propter copiam eorum futurum est, & sufficit, si quidem praecipuorum poetarum, nobisque notorum, ingeniorum monumenta, quoad eius ad hanc materiam pertinent, strictim recenseat. Vnum restat, quod ante, quam finiamus, declarandum est, Multis quippe non satis idonea haec poetarum monumenta uidebuntur, quae fidem alicui in historicis facere queant, propterea, quod eiusmodi auctores minima quaque nimiis laudibus amplificant, ultra ueritatem extollere, ac Principes, tantum non ueluti Deos, adorare soleant. Enim uero, quicquid huius est negotii, neminis animum turbare debet, cum, si dicendi rationes poetis proprias perspectas habet, non facile eo adducetur, ut quicquam uires humanas superans, de heroibus sibi imaginetur, atque adeo ueritatem a fupo poetarum distinguere studebit. Quid, quod etiam alia suppetunt praesidia, quibus, si qui poeticarum artium studio abrepti fuerint, ad ueritatis lucem peruenire licebit, quibusque etiam, in oratoribus ac historicis diiudicandis, utendum est.

XI

PRAE-

*oratus milio suorum* **P R A E S E S** *in disputatione*  
**RESPONDENTI DOCTISSIMO**

*s. p. d.*

**S**I unquam cum quadam animi uoluptate con-scendi cathedram , quod fere , quoties a me factum est , fieri memini , certe in praesenti magno afficiar laetitiae sensu , cum Te in eandem comitor ac deduco . Etenim siue ad cupiditatem Tuam respiciam , qua ad quodus doctrinae genus grassaris , seu sigillatim considerem auiditatem ani-mi , qua sapientiae studium , me praeceunte , com-plexus es , seu denique ardorem intuear , quo in Historiam omnem , atque in primis patriam , ferris , & quem saepe mihi numero exposuisti : facili ne-gotio animaduerto , haud ad vulgarem Te aspi-rare eruditionem , atque ab istorum rationibus longissime abesse , qui omnem studiorum cursum ex questu metiuntur , quique multum sibi sufficere arbitrantur , dummodo tantum dexteritatis acqui-suerint , ut quaque ratione caussas in foro agere , libellosque , pro clientibus ad iudicem dandos , uulgari modo , siue exarare , seu describere , queant . Docu-mento huic rei est praefens opera , quam , patriae historiae amore commotus , publice proposuisti , quamque ego Tibi ex animo gratulor , multumque  
emo-



QXVIIe 489


emolumenti ut creet, etiam atque etiam exopto.  
Atque hanc in Te uirtutem egregiam naturae bo-  
nitas partimi, partim Excellentissimi Domini Parentis  
Tui, quem obseruantiae caussa nomino, disciplina ac  
exemplum excitauit, cuius merita in rempublicam  
maxima sunt, atque adeo illustria, ut splendore  
suo oculos Tuos perpetuo ferire merito debeant.  
Qua Tua felicitate, multis aliis diuino beneficio  
accessionibus cumulata, uehementer ego laetor,  
Deumque immortalem ueneror, ut eam Tibi  
deinceps quoque mentem inspiret, quae Te ad  
eadem uestigia premenda inclinet. Ita uero quam  
certissime fiet, ut diuinae gloriae opereris, patriae  
multum inseruias, Genti Tuae inclutae ornamen-  
to sis, mihiique Tibi nullo non tempore gratulandi  
occasionem subministres. Dabam Vitembergae

VI. Id. Octobreis A. R. S. cīc iocc xv.

n. 5

X2502316





Vc  
489

*A. I. 2.*

RECTORE ACADEMIAE  
MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO  
DOMINO  
FRIDERICO AVGVSTO  
ELECTORATVS SAXON. HEREDE  
*DE*  
**OPERA POETARVM**  
IN PRIMIS  
**LATINORVM**  
AD  
**ILLVSTRANDAM HISTORIAM**  
SAXON. COLLATA  
PRAESIDE  
**FRIDERICO STRVNZIO**  
P. P  
IV ID. OCTOBREIS AN. CIC 10CC XV  
*HORIS LOCO QVE CONSVETO*  
*DISSERET*  
**IOANNES HENRICVS de BVRG**  
LIPSIENSIS

---

*VITEMBERGAE*  
Ex OFFICINA VIDVAE GERDESIANAE

